



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

XIII. Reges enim quandoque assensum illum vertebant in merum imperium, rescriptis videlicet suis episcopatus concedentes, invitis etiam interdum & repugantibus populis. quod probatur variis exemplis. ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

Agapeti Papæ ad Hierosolymorum Episcopum, qui ait post depositionem Anthimi consecratum à se Menam in sede Constantinopolitana. Cui simul atque serenissimorum Imperatorum, inquit, præter ceteros electio fuit, tanta omnis cleri ac populi consensio facta est, ut merito ab omnibus electus visus fuerit:

*ἄπει καὶ ὡς τὸς λοιπὸς τῶν βασιλευσάτων βασιλεῖαν ἐπέλασεν ἢ ἐπιλογῇ, ὅμως τοσαύτη ἔτε κλήρης παντὸς καὶ ἔθνεσσι συνουσίᾳ ἐσσεγήνετο, ὥστε παρ' ἐχθρῶν ὁπιλεγῆναι πισθεσθῆναι.*

IX. Sed nihil est quod Gallicanorum Episcoporum animos ad faciendam Regibus auctoritatem de expectando in electionibus eorum assensu vehementius inclinare potuerit quam Romanæ Ecclesiæ exemplum. Pulsis enim per Narsetem ex Italia Gotthis, cum Roma vetus iterum Imperio adjuncta fuisset temporibus Vigilij, ejusque, ut putatur, conniventia, constitutum fuit à Iustiniano, qui exemplum in eo sequebatur Theodorici Italiæ Regis, ut electus à clero non antè ab Episcopis ordinari posset quam ejus electio ab Imperatore Constantinopolitano confirmata fuisset, ut docet Onuphrius Panuinius. Vnde postea Gregorius magnus, ut se onere regendæ Ecclesiæ liberaret, scripta epistola ab Imperatore Mauricio petivit ne electioni assentiretur, quod observavit ante Ioannem Diaconum & Aimoinum Gregorius Turonensis: *Scripterat Mauricio Imperatori, conjurans ne unquam consensum præstaret populis. Mox: Data præceptione ipsum jussit institui.*

X. Constantinus quidem Pogonatus, post Concilium sextum, indulgit petitionibus Ioannis Episcopi Portuensis ut libera esset Ecclesia Romana à solutione quantitatis quæ solvenda erat pro confirmatione Pontificis Romani; sed confirmationis necessitas tunc non est sublata. Quin potius additum fuit illi divali jussioni, teste Anastasio, quod non debeat ordinari qui electus fuerit, nisi prius decretum generale introducat in regiam urbem, secundum antiquam consuetudinem; & cum eorum conscientia & jussione debeat ordinatio provenire. Idem Princeps postea concessit, Benedicto secundo petente, ut absque mora post electionem fieret ordinatio Pontificis. Quod locum habuit in electione Ioannis quinti. Sed successoris Cononis electio missa fuit ad Theodorum Exarchum, ut mos est, inquit Anastasius. Vnde inferri potest liberatos fuisse Romanos ab onere mittendi decreti Constantinopolim, sed obnoxios fuisse Exarchorum examini, donec ipsi tandem Exarchi defecere.

XI. Sanè Reges Francorum jure illo usi sunt cum bona Episcoporum & populi gratia. Editus fuerat Aurelianensis ille canon anno quingentesimo quadragesimo nono. Anno sequenti Nicetius pleno Regis & populi suffragio Episcopus Lugdunensis ordinatus est, ut loquitur Gregorius Turonensis in vita patrum capite octavo. Quam verò rationem sequerentur in eliciendo Regis consensu docet formula septima apud Marculfum. Fiebat decretum electionis à clero & à populo, eligentium manibus subscriptum, quod per legatos mittebatur ad Regem à corpore civitatis, quod à Marculfo *commune* vocatur, ut apud Iuriconsultos τὸ κοινόν. Adjungebant libellum supplicem, cujus verba concepta referuntur in formula: *Ne destituta sint oves decedente pastore, in loco ejusdem suppliciter postulamus ut instituere dignemini illustrem virum illum.* Decretum illud, consensus civium vocabatur, cujus plerunque rationem habebant Principes, ut patet ex Gregorio Turonensi lib. 111. cap. 11. de Quintiano à Gotthis ejecto à civitate Ruthena, dein ab Arvernens electo anno DXXVI. quem jussit Rex Theodoricus inibi constitui. Ait idem auctor lib. IV. cap. XV. *Turonici audientes regressum fuisse Regem Clotarium de cede Saxonum, facto consensu in Euphronium Presbyterum, ad eum pergunt. Mox: Et data præceptione Euphronius ordinatur Episcopus.* Hujus Præcepti formula habetur apud Sirmondum in appendice tomi secundi Conciliorum; ubi hæc sunt verba: *Cum consilio & voluntate Pontificum præcedentiumque nostrorum, juxta voluntatem & consensum cleri & plebium ipsius civitatis, in supradicta urbe pontificalem in Dei nomine vobis commissimus dignitatem.*

XII. Sed aliquando electum à populo Principes respuebant, ut patet ex Gregorio Turonensi lib. V. cap. XXIII. de Valdone qui Episcopatum Burdegalensem petebat: *Cum muneribus & consensu civium ad Regem properat; sed nihil obtinuit. Tunc Rex data præceptione jussit Gundegistum Santonicum Comitem, cognomento Dodonem, Episcopum ordinari. gestumque est ita.*

XIII. Quare cum pro innata rerum humanarum conditione supremæ auctoritatis arbitrium suis limitibus difficillimè contineri possit, Reges aliquando assensum vertebant in merum imperium, & sublata à clero & à populo electionum libertate, scriptis suis episcopatus concedebant, etiam invitatis & repugnantibus populis, adversus decreta sedis apostolicæ. Si gratum & acceptum clero & plebi designarent, ut fecerat de Mena Iustinianus, inversus quidem erat

A. J. 1. Concilij C. P. sub Mena.

Vide Baluzij Notus ad Agobard. pag. 121.

Ion. Diac. lib. 1. cap. 19. & 40. Aimoinus lib. 1. c. 74. Gregor. Tur. lib. 10. cap. 1.

canonicus ordo, sed non everfus. Quare nullus desiderio Principis refragabatur. Ejus ordinis exemplum insigne apud Gregorium Turonensem lib. v. i. cap. xxxix. de Sulpitio, quem reliquis competitoribus Rex Guntramnus prætulit: *Sulpitius in ipsa urbe Biturigum ad sacerdotium Guntramno Rege favente præligitur. Nam cum multi munera offerrent, hæc Rex episcopatum querentibus respondisse fertur: Non est principatus nostri consuetudo sacerdotium venundare sub pretio, sed nec vestrum cum premiis comparare; ne & nos turpis lucri infamia notemur, & vos mago Simoni comparemini. Sed juxta Dei præsentiam Sulpitius vobis erit Episcopus.* Ex eodem auctore didicimus Ruthenum episcopatum vacantem obitu Dalmatij, (qui Regem tabulis testamenti adjurabat ne personam ab ea Ecclesia extraneam præficeret) cum multi eum sibi conferri peterent, Theodosio Archidiacono illius Ecclesiæ à Rege donatum, post relectum Dalmatij testamentum in præsentia Childeberti Regis ac procerum ejus. Quando Turonicæ urbis cives ad Catonem Presbyterum Ecclesiæ Arvernæ accesserunt ut ejus consensum poscerent pro Turonensi episcopatu, ille tumido animo hanc gratiam respuit. Cui cives dixerunt: *Non enim te nostra voluntate expetivimus, sed Regis præceptione.* Quare cum postea à Turonicis peteretur Euphronius, respondit Rex: *Præceperam ut Cato Presbyter illic ordinaretur. Et cur est spreta jussio nostra? Responderunt ei: Petivimus eum, sed noluit venire.*

Gregor. Tur. lib. 5.  
c. 47.

Idem lib. 4. c. 11.

Idem. cap. 15.

Enimvero intra modum illum Principes, petitorum molestis oppressi, sese non continebant; sed à se solis electum ab aliis ordinari præcipiebant quam à Metropolitano proprio & à provinciæ Episcopis, quod erat canonibus Nicænis & Romanorum Pontificum decretis & canonibus Gallicanis omnino contrarium. Quod acciderat in Cautino jussu Regis Theodebaldi ad Arvernæ civitatis episcopatum electo, & à convocatis sacerdotibus apud Metensem civitatem ordinato; ut testis est Gregorius Turonensis lib. iv. cap. vii. Ideo Concilium Parisiense tertium anno DLVII. can. viii. cavet ut libera relinqueretur electio, nec Principis imperio violaretur; vetitis etiam provincialibus Episcopis ne per regiam ordinationem electum, & ab aliis ordinatum, admitterent. *Nullus, inquit, civibus invito ordinetur Episcopus, nisi quem populi & Clericorum electio plenissima quaesierit voluntate; non Principis imperio, neque per quamlibet conditionem, contra metropolis voluntatem vel Episcoporum provincialium ingeratur. Quod si per ordinationem regiam honoris istius culmen per-*

*vadere aliquis nimia temeritate præsumpserit, à compvincialibus loci ipsius Episcopus recipi nullatenus mereatur quem indebitè ordinatum agnoscat.* De antea actis autem ordinationibus Metropolitanus jubetur decernere cum Episcopis provincialibus, juxta antiqua statuta canonum.

XIV. Attamen hujus constitutionis rationem non habuit Rex Clotarius, qui Emerium Ecclesiæ Santicæ præfecit; cavique decreto suo ut absque Metropolitanis consilio benediceretur, qui non erat præfens, scilicet in commitatu, teste Gregorio Turonensi lib. iv. cap. xxvi. qui hæc addit. *Apud urbem Santicam Leontius Burdegalensis, congregatis provinciæ suæ Episcopis, Emerium ab episcopatu depulit, asserens non canonicè fuisse hoc honore donatum.* Ceterum Episcopi Heraclium Presbyterum Burdegalem elegere, consensumque suum ad Regem direxerunt, ut ejus iudicio probaretur. Nitebatur Leontius auctoritate Concilij Parisiensis, quod ordinationum adversus canones actarum discussionem & judicium synodo provinciæ commiserat. Verum Rex Charibertus injuriam sibi fieri caussatus, quod se inconsulto Episcopum à patre suo Clotario delectum & admissum expulisset, Emerium sedi suæ restituit. & ab Episcopis multam exegit anno circiter quingentesimo sexagesimo tertio.

XV. Postea variè se habuit negotium istud electionum; quæ, præmissa cleri & populi electione, & decreto regio subsecuto, fiebant; ut docent promotiones circiter annum sexcentesimo factæ Bertharj ad Ecclesiam Carnotensem, Gaugerici ad Cameracensem, Licinij ad Andegavensem, & Lupi ad Senonensem; ut patet ex auctoribus qui vitas illorum scripsere. Quandoque verò electiones fiebant ex mero Principis imperio. Hanc labem canonum reficere conabatur Concilium Parisiense quintum habitum anno DCXV. die xv. Kal. Novembris. Quippe canone primo aliquid ex antiquo jure repetivit, ut pondus aliquod adderet electionibus; quas fieri constituit à Metropolitano, cum consensu cleri atque civium, & ab eodem ordinationem fieri cum Episcopis provinciæ; vetatque ne quis per potestatem subrepat. Eadem illa die Rex Clotarius condidit edictum generale, habito Pontificum & optimatum consilio qui huic synodo intererant, pro confirmatione canonum: *Quicumque hanc deliberationem, quam cum Pontificibus vel tam magnis viris optimatibus aut fidelibus nostris in synodali Concilio instituimus, temerare præsumpserit &c.*

Itaque refert magnopere ut sciatur quid